

conficitur. Aqua ostrea, conchæ, cæteraque id genus, tum potus est, ipsamet: è semine constant omnia alia animalia, potus autem lac. Manifestum est igitur tria tantum esse genera potuum secundum naturam: aquam, vinum, & lac. Eorum quæ ex terra oriuntur, tres sunt omnes differentiae iuxta genus, agreste, & domesticum: iuxta species caulis, aut asparagus, & iuxta partes quæ quinque præcipue sunt, semina sicciora, duriora, pinguiora, quæ sub cerealium nomine à Galeno comprehenduntur. Quorum cùm sit frequentior usus, Galenus suo more integrum volumen illis dedicauit. Fructus, radices, folia, & caulinculi seu germina, vel asparagi, aut turiones. In his quæ ab aqua proueniunt, cùm omnia sint agrestia, totaque edantur, vna relinquetur differentia ex speciebus. At ex animalibus eadem generis agrestium, & domesticorum: dico etiam in eadem specie, & specierum inter se, demum & partium. Et velut in plantis succi, ita in animalibus, lac quidem animal parentibus, oua cæteris piscibus, & aibus sanguis communiter omnibus: sed de condimentis prius agendum erit.

## CAPVT XLIV.

*De sapore dulci.*

*Dulcis sapor  
& pinguis  
natura sunt  
amica.*

*Saccharum  
igne melius  
efficitur.*

*Mellicratum.*

**D**ulcis autem sapor, & pinguis, solùm sunt in substantia ventriculo amica, vt diximus, & omnibus membris naturalibus, quia solùm ex huiusmodi substantia ea membra ali possunt. Sunt autem omnia membra naturalia, vt aluntur, sed omnium tamen primum iecur, post ventriculus, & intestina, inde venæ, & sanguis, post lien, renes, & vesica vtraque, nam quæ vrinam continent, magis patitur, at bilis generatio frequentior est. Causa ergo horum est substantiae bonitas: pinguis enim sapor, & dulcis ab humido puro, concocto semper fiunt, & idèo soli in optima substantia repositi sunt. Sed pinguis in crassa, dulcis in tenui semper, ob id etiam melius cocta substantia dulcis, quam pinguis, minus tamen benè nutrit, quoniam tenuis est. At in melle & saccharo hoc perspicuum est omnibus modis, tum ex generatione, tum quia celeriter nutriunt, tum quia parum & admodum: eò etiam fit vt dulcia coctione omnia fiant deteriora, pinguis ad certam usque metam meliora: tenuis enim substantia iam concocta, & pura ad ignem posita melior fieri non potest. At dum humido insipido iungitur, melior redditur inutili absumpta parte. Sic saccharum igne melius efficitur, perficiturque in fornaciibus, secus si solùm coquatur deterius efficitur, vt etiam mel, ob id saccharum vt cùm aliis humidis coquatur, postquam concreuerit, non minus melle postulat. Vnde etiam ex musto, & melle coctis, fit mellicratum, absumpta humida parte inutili. In lacte quoque idem accidit, nam

aquea parte consumpta, sapor minus diffunditur, quamobrem lac coctione vt etiam saccharum dulcius euadit, & ob id etiam melioris alimenti. Et qui oua, lac & saccharum coquunt, cibum efficiunt maximè iucundum gustui, & optimi nutrimenti. Sed & in lacte dulcedinem in tenui substantia contineri hoc argumento deprehenditur, quod neque aqua eius, neque caseus, nec butyrum dulce euidenter est, sed solùm ea pars quæ spumosa est, quam vocant Mediolani lactis mel, id est, dulcis pars lactis, quæ adeò tenuis est, vt minimum illius pondus cadum magnum implet: si igitur dulce, & pingue, in substantia pura, & concocta posita sunt, benè quidem ambo nutriunt, sed quod dulce est, adeò parum, vt male Galenus dixerit, omne quod nutrit dulce esse: nam pinguis proprie benè, & affatim nutriunt, at natura multis dulcedinem miscuit, vt animalia deciperet ad proprium commodum, crassius ergo & humidius cum sit pingue, dulci: hinc fit vt pingue coctione temperetur, & mollius euadat, idèoque etiam suauius, & melius, pingue eatens deterius: pinguis autem, & dulcia, obstrukções in epate, ac splene generant cùm à natura ob delectationem antequam sint concocta attrahantur, iuxta illud Hippocratis tertio Acutorum: [Dulcis potus viscera inflat:] splenem videlicet & epar.

*Pinguia &  
dulcia obstru-  
ctiones gene-  
rant.*

## CAPVT XLV.

*De his quæ sunt amica, & inimica  
ventriculo.*

**E**X his igitur non arduum erit generaliter docere regulam, qua omnia cognoscamus, quoniam pacto se habeant ad ventriculum, dico valentem pro sua natura. Nam cùm tribus indigeat ventriculus, vt nutriatur, vt roboretur, & vt calor naturalis in ipsum copiosus deriuetur, ac conservetur: tria sunt, quæ id præstare possunt: primum saporis pinguis substantia, postquam est dulcis, nam ex his commode nutritur, accedit vt ex hac suavitate, illum amplectatur, diutiùs retineat atque ob id etiam dupli emolumento melius concoquatur, secundum contingit ex sapore astrigente, cùm à siccō illius authore, seu frigori coniungatur, vt in punicis malis, seu moderato calore, vt in croco (nam magnō calore astricō iungi non potest, cùm calor distendat) ventriculi substantia in unum cogatur, & robustior ob id euadat. Tertiū fit ex odore bono, qui præter id quod auocat à corde spiritus, à iecore sanguinem naturali familiaritate, tenui terra substantia ignita conseruat illum. Hæc igitur omnia sunt, quæ maximè prodest possunt ventriculo, atque ob id vt dictum est proderunt ad generationem boni sanguinis, & nutritionem totius corporis, benefacent autem propriè iecori, lieni, intestinis, renibus, & utriusque vesicæ, neque

*Ventriculus  
quibus indi-  
geat.*

*Tria maximè  
prodest pos-  
sunt ventri-  
culo.*